



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis**

**Balbín, Bohuslav**

**Pragæ, 1664**

Radius Misericordiæ In Pauperes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42763**

*Wid. his Intro-  
grum.*

*Alcaf. in 'A-  
pocalyps. l. cit.  
in Plinio,*

peccabis. Sed gemma tabula tantum est, non imago. In hac igitur gemma Sardia, quæ ad Sigilla & Imagines recipiendas optime valere dicitur, fontem exsculpe, coronatum flosculis supernè, cum haustro suo & urnula, cui fonti inscribere hæc pauca: *Quia donat, abundat.* Omnes qui de fontibus scribunt, tradunt, si fons non hauriatur, aquam amitti, ac deinde fontem omnino perire: id quod ipse ego plurimis exemplis possem legentibus approbare, ut in arcibus vetustis fieri videmus, quas fontium aquas habuisse constat, quæ nullo hauriente evanuerunt, fontibus obcæcatis. At contra ubi venæ provocantur assidue, & aquæ hauriuntur, fons æternus est. Adde etiam quod ipso motu fit clarior, ac salubrior, meritoque inscripsimus fonti: *quia donat, abundat.* Natura ipsa non sinit beneficium fontem benefaciendo perire, misericors fons misericordiam consequetur. VEN. Arnesti hæc fit effigies; cuius omnes divitiæ fuerunt in motu; donabat, & ob id ipsum donabatur & abundabat; hauriebatur, sed exhauriri non poterat: aureis denuo fluctibus divinitus, velut provocatâ cœli venâ, in fontem affluentibus.

## RADIUS MISERICORDIÆ IN PAUPERES.

*Plin. senior.*

*Misericordia  
æterna vitæ  
viva est.*

UNiversa amittimus morientes; virtutes, ac præcipuè misericordia manet in sæculum sæculi. Vix potest mori misericors: beatus & propè DEVS est. *DEVS est mortali juvare mortalem. Hæc est ad æternam gloriam via;* hoc cœlesti passu proceres ière Christiani. Gloriam divinitatis affectat, qui misericordiam exercet. Nec irascitur æmulo DEVS; sed hac ipsa de causa misericordes superat, quia misericordes in societatem honoris admittit. Summus felicitatis gradus est disputare posse cum DEO; disputare potest, qui dispersit, dedit pauperibus, sibi nihil reliquit: *Ubi igitur, Domine, centuplum quod promissisti? rationes accepti tui, & expensæ mei pariant, & respondent; factum est quod imperasti, nulla manet. Igitur vicimus, & quantâ tua in me benignitas opum fuit, tantâ mea in proximos; par tibi misericordiâ sum!* Sed vincî non vult DEVS, & dabit nè vincatur; imò efficiet amplius.

plius nè vinci possit, dicéque : habebis, serve bone, thesaurum in cœlo ! In hac orbis universi rapina, quis locus asservandis opibus & thesauris cœlo securior ? ibi nobis sint omnia. Hic in terris pauca habeamus, aut nulla : cùm mors viatores nos aggredietur, quid eripiet ? nimirum

*Cantabit vacuus coram latrone viator.*

Sed neque Misericordibus in hac vita deerunt præsidia fortunarum. *Non vidi justum* (multò minùs misericordem) *derelictum* ; propter Christum pauper, fame non perijt, & desideratur exemplum. De VEN. *Arneli* misericordia, & liberalissimis elemosynis plurima in superioribus attuli, vide & imitare. Ager quò plus reddit, eò melior ; fons quò plus aquæ donare potest, pretiosior ; & homo præstantior, qui misericordiæ feracior.

## VI. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS

SMARAGDINEVS.

## VEN. ARN. CORDE MUNDISSIMUS.

*Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.* Matth. 5.

**S**maragdus gemma est virore tam præcellens, ut quidquid in Sorbe viride est, si juxta statnatur, viride esse desinat, ut observat ex Plinio Ribera noster, qui gemmam hanc, ob puritatem ; S. Ioanni Evangelista comparavit. Si tangatur ab impuro, frangi affirmat Pierius ; at Petrasanctius noster non indecorum putavit, majus quiddam & secretius de Virginitate scribere, quod apud eum invenies exemplo probatum. Ex Smaragdo pretiosissima specula supina fieri tradit Plinius, & Neronem gladiatorum pugnas in Smaragdo speculo spectasse ; addit verò : *soli Smaragdi oculos implent, nec satiant.* Hanc etiam gemmam, & naturæ dotem, Bohemæ telluri à Deo tributam affirmat Anselmus. Sit igitur Corculi figurâ Smaragdus, in cujus medio speculi politura, in quo ipso speculo reluceat è cœlo formosissima Solis imago, adscribe imagini : *Mundi corde vident.* Quia enim Smaragdus mundissima & purissima gemma est, si insuper specularis fiat, optimè & innoxie in ea Sol videtur. Ejusmodi oculos habebat

Plin. lib. 37<sup>o</sup>  
Cap. 2.  
Ribera in Apocalypf.  
Pier. lib. 47<sup>o</sup>  
hieroglyph.  
Petrasanctius  
l. 3. de symbolis, C. 4.  
Plin. l. cit.  
Smaragdus  
Castimonie  
symbolum.  
Anselm. Boët.  
l. 2. de gemmis  
C. 56. C. 60.  
C. 61.

Kkk

VEN.